

bus Christus necdum fuerat annuntiatus, Evangelium prædicaret, ipsumque sibi demandatum adimpleret concionandi Officium. Episcopus etiam ab eodem Summo Pontifice consecratus est, sed nulli tamen determinatæ sedi affixus, quo facilius hac illac percurrere, Evangelium in Germania disseminaret, & Oves undique conquistis in unum Ovile congregare posset. Multa ad stabilendam fidem, & sancendam disciplinam Ecclesiæ, in Germania celebravit Concilia S. Bonifacius. *Bajoariam*, quam nunc *Bavariam* dicimus, in quatuor Episcopatus, nempe *Salisburgensem*, *Frisingensem*, *Ratisponensem*, & *Pataviensem* divisit, & in hanc Provinciam, procul eliminata Idololatria, dispulsisque erroribus, quibus adhuc *Bajoarii* adhærescebant, fidem Christianam postliminio revocavit, ut testatur *S. Willibaldus* in ejus Vita, ubi hæc habet: *non solum invitatus* (S. Bonifacius) *Bajoariorum ab Odilone Duce, sed & spontaneus visitavit incolas, mansitque apud eos diebus multis prædicans & evangelizans Verbum Dei, veræque fidei ac Religionis Sacramenta revocavit.* Post multos in Germania exhaustos pro conversione Infidelium labores, S. Bonifacius Anno *DCCLV.* Episcopus Moguntinus cum Metropolitæ dignitate a *Zacharia* Romano Pontifice factus est. Quam Ecclesiam rexit usque ad annum *DCCLIII.* quo Frisiam iterum profecturus *Lullum* successorem impetravit, quem ipsemet, accedente *Pipini* Francorum Regis consensu, consecravit, & in Episcopatum Moguntiacensem sibi substituit. Tunc vero pergens in Frisiam Episcopatus Trajectensis administrationem suscepit, cumque latas Frisonum Regiones prædicandi Evangelii causa, indefesso studio lustraret, venit ad flumen quoddam, ubi inhumana cæde una cum suis sociis pro fide necatus est die V. mensis Junii anni *DCCLV.* vel *DCCLVI.* & in Monasterio *Fuldensi*, quod ipse fundaverat, sepultus. Vitam S. Bonifacii Germaniæ Apostoli paucis ab ejus obitu annis *S. Willibaldus* scripsit, quam *Osblonus* Monachus, qui anno *MLXII.* vivebat, Epistolis, Actis Conciliorum, & aliis id genus momentis auxit, eamque præviis observationibus illustratam doctissimus *Mabillonius* inseruit part. II. sæculi III. *Benedicti.* In conversione Infidelium, qui in variis Germaniæ Provinciis octavo sæculo adhuc repeiebantur, egregiam iridem cum S. Bonifacio navarunt operam *S. Willebrordus*, *S. Willibaldus*, & *S. Wnebaldus*. Enim vero S. Willebrordus tentatam ab Archiepiscopo Colonienfi *Egberto*, & *Wigberto* Frisonum conversionem feliciter perfecit, & ut testatur S. Bonifacius in Epist. 99. ad Stephanum Papam, Sedis Trajectensis ad Rhenum Auctor ac primus Episcopus fuit, quam Sedem postea Paulus IV. Summus Pontifex anno *MDLX.* in Archiepiscopalem erexit. De ejusdem Episcopatus institutione loquitur Venerabilis *Beda* lib. 5. cap. 12. additque S. Willebrordum plures Ecclesias, & nonnulla Monasteria per illas Regiones construxisse, atque in illis Antifites constituisse. *S. Willibaldus* Eistensis Ecclesiæ primus Episcopus a S. Bonifacio Germaniæ Apostolo consecratus, Monasterium ibidem condidit, late-

que per vastas Bajoariorum, seu Bavarorum Provincias cum multis operariis Christi fidem propagavit, & postquam per multos annos hunc Episcopatum rexisset, ad Deum migravit. Duæ extant Vitæ hujus Sancti, primi Ecclesiæ Eistensis Episcopi. Una a quadam sanctimoniali Heidenheimensis Monasterii scripta; altera ab Auctore Anonymo perantiquo Scriptore edita, & utraque Vita a doctissimo *Mabillonio* sæculo III. *Benedicti.* part. II. recitata, & Notis illustrata est. Denique *S. Wnebaldus* frater S. Willibaldi in Thuringiam anno *DCCLXXXVIII.* accessit, populos illius Provinciæ fide Christiana imbuere. Dein, in Bajoariam sese contulit, permultos ibidem adhuc Paganorum præstigiis pollutos a pravitate morum abduxit, atque transacto triennio in Germaniam rediit, ubi frater ejus Willibaldus in Urbe Eistensi Episcopus erat. In hac Diocesi ad locum, qui vocabatur *Heidenen*, Monasterium extruxit, primusque fuit Abbas hujusce Monasterii Heidenheimensis. Plurimas Paganicæ pravitatis superstitiones, multosque diabolica fraude deceptos Idola colentes in his partibus advenit. Alii namque Aruspicia observantes, alii incantationum frivola facientes, alii variis vitis impliciti ad eum occidendum vel comburendum sæpe numero per maleficia animum intenderunt. Sed vir Dei tot inter pericula intrepidus, & pro salute illorum incredibili zelo exarsuans non desinebat docendo plebem ab erroribus Infidelium persuadendo educere. Vita S. Wnebaldi primi Heidenheimensis Abbatis scripta a quadam sanctimoniali Heidenheimensi ejus consanguinea extat sæculo III. *Benedicti.* part. I.

Hunc in modum octavo Ecclesiæ sæculo Christiana fides per viros Apostolicos in Germania fata ac propagata est, a qua tamen Saxones cum identidem deficerent, coactus est *Carolus Magnus* Occidentis Imperator sæpius cum illis redintegrare bellum, donec anno *DCCLXXXV.* de eorum Idololatria, & perfidia insignem triumphum egit, Saxoniam in Provinciam redegit, *Witichindum* illius gentis Duce[m] Baptismum postulantem Attiniaci sacro Fonte levavit, eique nonnullas restituit Arces, alias præstigiis firmavit. Tunc *Witichindus* Saxonum Dux sacro Baptismate initiatus, sciens *Carolus Magnus* de construendis in Saxonia Ecclesiis sollicitum esse, idoneum obtulit locum, quem suo jure servabat ad ripam *Wisurgis*, ubi *Mindensis* Episcopatus fundatus est, & *Herimbertus* primus Episcopus ordinatus. Præter hunc *Mindensem* Episcopatum, alius in Saxonia erectus est, *Verdensis* scilicet, ut ostendit *Henschenius* ad idem primum mensis Martii in Vita *S. Suiberti* Episcopi, & Frisonum Apostoli. Postremo, *Hunnos*, seu *Avares*, qui jam pene a trecentis annis Romanos afflixerant, quique Christianæ Religionis erant infensissimi hostes, cum *Carolus Magnus* debellare decrevisset, *Theodo*, vel *Todanus* eorum Rex ad eum supplex venit, ut una cum suis fidem Christianam, prostratis ac contritis Idolis, susciperet. Eum ad se venientem *Carolus Magnus* honorifice excepit, baptizatum mun-

bus cumulavit, Presbyteros, qui illam gentem edoceret fidem Catholicam, misit; & thesaurum ab *Henrico* Francorum exercitus Duce ex *Hannorum* Regia Urbe, quæ *Ringus* dicebatur, ad se transmissum partim distribuit inter Episcopos, Abbates, & Optimates; partim Romam per *Angilbertum* ad limina Apostolorum deferri iussit. Sic *Carolus Magnus* bellum in Germania contra Barbaras, & Infideles nationes magno semper Christianæ Religionis bono gessit, easque divino adjutus præsidio, a gentili cultu sincere conversionis ad fidem Christianam firmiter retinendam feliciter traduxit. Sed de his quæ a *Carolo Magno* in Germania pro conversione Infidelium gesta fuisse hæcenus diximus, legendi sunt *Eginhardus* in Vita *Caroli Magni*, *Poeta Saxonicus*, *Annalista Loifelianus*, *Annales Lauweshamenses*, *Bertiniani*, *Fuldenses*, & *Metenses*. Sed satis huc usque differimus de statu, & loco quo erant res Ecclesiæ sæculis septimo & octavo sub Imperatoribus, & Principibus Christianis.

COLLOQUIUM II.

In quo exhibetur continua series Episcoporum, qui sæculis septimo & octavo præcipuas Sedes, Romanam videlicet, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam, & Constantinopolitanam tenuerunt.

D. CUM Ecclesia Romana sit omnium Ecclesiarum Mater, & illius Sedes totius unitatis Ecclesiasticæ centrum jure optimo a Sanctis Patribus appelletur; præstat ut Colloquium nostrum exordiamur a serie Episcoporum, seu Summorum Pontificum, qui sæculis septimo, & octavo Sedem Romanam tenuerunt, atque universam Ecclesiam tanquam Christi in terris Vicarii gubernarunt.

M. Teximus in nostris præcedentibus Colloquiis seriem Summorum Pontificum, qui Sedem Romanam tenuerunt a S. Petro Apostolorum Principe usque ad S. Gregorium Magnum, hoc est, usque ad annum sexcentisimum quartum, quo S. Gregorius Magnus immortalis memoriæ Pontifex, postquam sedisset annos tredecim, menses sex, dies decem, mortuus est, & sepultus in Basilica B. Petri Apostoli die XII. mensis Martii, ut scribit *Anastasius Bibliothecarius*. Ad superos itaque S. Gregorio Magno evocato, *Sabinianus* natione Tuscus, post Interpontificium mensium sex & diei unius, Romanus Pontifex ordinatus est die XIII. mensis Septembris ejusdem anni sexcentisimi quarti. Fuerat *Sabinianus* Sancti Gregorii Magni Diaconus, ejusque Constantinopoli, imperante *Tiberio*, Apocrifarius. Brevissimum fuit *Sabiniani* Pontificium. Nam, teste *Anastasio*, annum unum dumtaxat, menses quinque, & dies novem sedit, obiitque die XXI. mensis Februarii anno *DCVI.* Optime *Papebrochius* in conatu *Obrologico-Historico Pontificum Romanorum* observat, *Baronium* fidem adhibere non debuisse fabulæ a *Sigiberto* in Chronico relatæ, *Sabinianum* scilicet Romanum Pontificem propter avaritiam & duritiam suam in pauperes, a suo decessore S. Gregorio Magno per noctem apparente increpitum, percussurumque in capite paulo post excessisse ex hac vita. Hæc siquidem narratiuncula nullo antiquitatis monumento nititur, nihilque tale habet quicquam antiquorum, qui de Vita & Miraculis S. Gregorii Papæ scriplerunt, ne quidem *Joannes Diaconus*, qui tamen data opera finem libri quarti Vitæ Sancti Gregorii Magni ejusmodi exemplis per duodecim capita deductis implevit: Apæge ergo hanc fabulam. (a) Post mortem *Sabiniani* cessavit Episcopatus menses XI. dies XXVI. ut ait *Anastasius*, & die decima nona mensis Februarii anni *DCVII.* *Bonifacius III.* Patria Romanus renunciatus est Pontifex Romanus, qui Edictum a *Phoca*, improbissimo licet Imperatore, obtinuit, quo sanciebatur, nomen Episcopi *Ecumenici*, seu *Universalis*, unum decere Romanum Pontificem, non autem Episcopum Constantinopolitanum, qui antehac illud temere usurpaverat. Vetuit hic Summus Pontifex in Synodo Romæ habita sub Anathematis pœna, ne Romano Pontifice, vel alio quovis Episcopo adhuc vitam agente, de illius successoris electione tractaretur, nisi post tertium ejus mortis ac depositionis diem. Obiit *Bonifacius III.* die decima mensis Novembris anni *DCVII.* post illius mortem fuit Interpontificium novem mensium & quindecim dierum. Quapropter *Bonifacius IV.* ex *Valeria* Civitate Marforum oriundus, die vicesima quinta mensis Augusti, anni sexcentisimi octavi fuit Pontifex Romanus consecratus. Petiit a *Phoca* Imperatore Templum, quod appellatur *Pantæon*, in quo, teste *Anastasio*, fecit Ecclesiam Sanctæ Mariæ semper Virginis & omnium Martyrum. Cujus Ecclesiæ, quæ etiamnum Romæ extat, dedicatio inscripta est in antiquis Martyrologiis ad diem III. Idus mensis Maji, seu ad diem XIII. Maji, ut videre est in Martyrologiis *Beda*, *Usuardi*, *Adonis*, *Nothevi*, & in Martyrologio Romano hodierno, ubi appellatur: *Dedicatio Sanctæ Mariæ ad Martyres*. Sedit *Bonifacius IV.* annos sex, menses octo, dies tredecim, & ad Deum migravit die septima mensis Maji anni *DCXV.* Vacavit sedes post mortem *Bonifacii IV.* quinque menses, & dies undecim, ac subinde *Deusdedit* Patria Romanus, die decima nona mensis Octobris ad Pontificatum fuit evectus. Sedit annos tres, dies viginti, obiitque die VIII. mensis Novembris anni *DCXVII.* Hujus Sancti Pontificis nomen in Martyrologio Romano *Galesinii*, & in antiquioribus non legitur, sed *Baronius* ob præclaras ejus virtutes Martyrologio Romano, a se auctoritate Apostolica emendato, illius nomen inscripsit ad diem VIII. Novembris. Refert etiam *Baronius* Epistolam Sancti illius Pontificis ad *Gordianum* Episcopum Hispanensem. Verum, hanc Epistolam suppositivam esse, ex eo maxime probatur periti hujus temporis Critici, quod nullus in Ecclesia Hispanensi *Gordianus* sederit sub Pontificatu *Deusdedit*. Constat enim, Sanctum *Isidorum* Hispanensem rexisse Ecclesiam ab anno Christi sexcentesimo usque ad annum sexcentisimum tricesimum sextum, ut ex *Ildaphonso* Episcopo Toletano colligitur, ex quo sequitur, *Isidorum* Hispanensem Episcopum superstitem

tem fuisse non solum Summo Pontifici *Deus dedit*, sed etiam ejus successori Bonifacio V. Mortuo Summo Pontifice *Deus dedit*, fuit Interpontificium non mensis unius, & dierum sexdecim, uti perperam habent quidam Catalogi, sed anni unius, mensis unius, & dierum sexdecim, ut videre est apud *Cl. Pagium* ad annum Christi DCXVII. Unde Bonifacius V. natione Campanus, die vicesima tertia mensis Decembris, anni sexcentissimi decimi noni, ordinatus est Pontifex Romanus. Sub illius Pontificatu *Edvinus* Northumbrorum in Anglia Rex Gentilis accepit in uxorem *Edilbergam* feminam Christianam. Quod conjugium ubi accepit Bonifacius Papa, litteras ad *Edvinum* Regem misit, quibus eum ad fidem Christianam hortatus est, aliasque direxit ad conjugem ejus *Edilbergam* piissimam feminam, quibus illam monuit, ut salutis *Edvini* Regis sedulam ageret curam. Has Epistolas refert *Baronius*, easque descripsit ex *Venerabili Beda* lib. 2. Hist. Eccl. Gentis Anglorum. Sedit Bonifacius V. non ann. septem, menses decem, & diem unum, ut visum est *Baronio*, Natali *Alexandro* & aliis, sed sedit annos quinque, menses decem, sine ulla dierum appendice, ut videre est apud jam citatum *Cl. Pagium*, cujus, in consignandis Romanorum Pontificum annis, *Chronotaxim*, utpote cæteris accuratior, sequor. Bonifacius itaque V. qui Pontifex Romanus consecratus fuerat die XXIII. mensis Decembris anni DCXIX. obiit die XXII. mensis Octobris, anni DCXXV. Mortuo Bonifacio V. post Interpontificium quinque dierum, *Honorius I.* consecratus est Pontifex Romanus die XXVII. mensis Octobris ejusdem anni DCXXV. sedit *Honorius I.* annos duodecim, menses undecim, dies sexdecim, & sepultus est in Basilica *B. Petri* Apostoli die XII. mensis Octobris anni DCXXXVIII.

“(a) Nihil ineptius excogitari unquam potuit, quam fabella de *Sabiniani* avaritia; nam præter ea, quæ animadvertit hic *Grægorius*, author Pontificalis Roman. Pontif. narrat ejusdem *Sabiniani* cura triticum Ecclesiæ venditioni expositum ab eo fuisse solido uno in modios xxx. quod sane ex diametro opponitur fabellæ de *Sabiniani* avaritia sparz.

“(a) Fateor tamen esse Codices nonnullos, qui plane oppositum hac de re exprimunt; ita enim legunt verba Pontificalis: *jussit venundari frumentum populo, pro solidis triginta modium unum*. Hanc lectionem antiquam extitisse fateor, sed ab antiquis etiam aliis sanioribus codicibus reprobata, ex eo infero, quod in codice nostro *Lucensi*, sæculo VIII. scripto, nulla hic perturbata repererim, ita enim vetustus scriba expressit: *venundari frumenta per solidum x. unum modios xxx.* Sed ibi nota numeralis x. transversa linea ab antiqua manu deleta est; ex quo indicari censeo codicis hujus scriptorem geminas diversas lectiones in variis codicibus præ oculis habuisse, & cum unam cepisset exprimere, quasi facti poenitens, ea relicta aliam prætulisse, ac si saniores codicem judicasset, qui *Sabiniano* magis favebat.

“(a) De *Bonifacio III.* *Sabiniani* successore adnotare hic juvat variare paulisper codicem nostrum ab editis quoad dies Sedis, & interpontificii; sic enim legit: *Sedit Menses VIII. dies XXII. & cessavit Episcopatus menses x. dies VII.* quamvis postremus numerus unitatis deletus manu antiqua videtur.

“(a) De *Bonifacio IV.* hanc habes ex eo Codice variantem lectionem: *depositus die XXV. mensis Maji, & cessavit Episcopatus Menses VI. dies XXV.*

“(a) *Deus* dedit sedisse ibi legitur annis III. diebus XXIII. Interpontificium vero definit ad mensis unum, depositusque scribitur die VIII. mensis Novembris.

“(a) *Bonifacius V.* sedisse hic habetur annis V. ac depositus die XXV. Octobris, cessatio Episcopatus prorogatur ad dies XIII.

D. Sine, quæso, ut te de *Honorio I.* Summo Pontifice loquentem paulisper interpellem. Erant nuperrime nonnulli viri eruditi, qui pertendebant, *Honorium I.* Romanum Pontificem in Monothelitarum Hæresim impegisse, eoque nomine in sexta Synodo Generali fuisse damnatum. Quid de illius Pontificis doctrina sentiant alii viri eruditi, lubenti animo auscultabo.

M. Duæ Epistolæ, quas *Honorius I.* Summus Pontifex ad *Sergium* Hæreticum Monothelitam Episcopum Constantinopolitanum scripsit, uberem insigni controversiæ de illius Orthodoxia, vel Monothelismo, suppeditarunt materiam, & præsertim quod Summus ille Pontifex Anathemate cum aliis Monothelitis implicatus reperitur in Actis sextæ Synodi Generalis, qualia nunc extant. Omnes ad unum Hæretici, ut Sedi Apostolicæ, quam cane pejus & angue odio prosequuntur, insanitiæ labem inurant, non dubitant asserere, *Honorium I.* Romanum Pontificem in Monothelismi luto hæsisse, quod etiam visum est quibusdam Catholicis, distantibus, standum esse judicio sextæ Synodi Generalis, quæ *Honorium* Papam Hæreticorum Monothelitarum Classi accensuit. Quod quidem Catholicorum argumentum ut elideret *Baronius* existimavit, Acta sextæ Synodi Generalis non haberi sincera, sed interpolatrice manu fuisse adulterata. Verum, hanc Eminentissimi Annalium Parentis conjecturam ab omni veri specie abhorre judicant Classici Scriptores, ut opportunius ostendimus in quarto Colloquio, ubi de Conciliis contra Monothelitarum Hæresim celebratis, & præsertim de sexta Synodo Generali, deque illius Actorum integritate, sermonem instituemus. Hic ad *Honorium I.* Romanum Pontificem vindicandum a Monothelitarum Hæresi, breviter observasse sufficiat, Summum illum Pontificem a Monotheliticis deliramentis penitus alienum quidem fuisse, graviter tamen peccasse, tum quia consultationem *Sergii* Patriarchæ Constantinopolitani, & *Cyri* Patriarchæ Alexandrini, qui Monothelitica Hæresi erant infecti, ambiguis responsis elusit; neque statim emergentem hanc Hæresim damnavit, sicut ei ex officio incumberebat, ut testatur *Leo II.* Pontifex Romanus in Epistola ad *Hispanos* Episcopos his verbis: *Qui, scilicet Honorius Papa, flammam*

“(a) *heretici dogmatis non, ut decuit auctoritatem Apostolicam, incipientem exinxit, sed negligendo consorvit.* Secundo, *Honorius* non solum silentio & dissimulatione peccavit, permittendo, ut Monothelitarum Hæresis latius grassaretur, sed etiam quia præposteram servavit œconomiam, qua voluit, ut de una, vel gemina in Christo servatore nostro voluntate & operatione, altum silentium haberetur, cum tamen debuisset geminam in Christo voluntatem & operationem, quam negabant Monothelitæ, aperte defendere, confirmare, & propalare tanquam fidei Catholicæ dogma. Tertio, *Honorius* in suis Epistolis asserit, voces geminæ voluntatis & operationis esse novas, *Patribus ignotas, recenter inductas*, ac proinde inter fideles non introducendas; ait etiam; *ineptum, otiosum, & grammaticale* esse, duas in Christo post unionem voluntates, & operationes mansisse, eosque, qui de una, vel gemina in Christo voluntate veritatem indagare volunt, *Vanos* appellat *Naturarum ponderatores, otiosos negotiatores*; quibus certe loquendi modis Monothelitarum Hæresi patrocinari visus est. Quarto, *Honorius* nimia facilitate assensus est *Consilii Sergii* Patriarchæ Constantinopolitani Hæretici Monothelitæ, ac plus æquo fidem adhibuit calumniis, quas ille Monothelita in suis Epistolis contra *Sophronium* Episcopum Hierosolymitanum Monothelitarum Hæresis infectatorem acerrimum, confinxerat. Ob has & similes rationes Patres sextæ Synodi Generalis *Honorium* tanquam Hæreseos fautorem & dissimulationis reum damnarunt, non tamen ut Hæreticum sententia, ac electione prava & pertinacia infectis Monothelitarum dogmatibus consentientem. Hinc jure ac merito viri sanctitate & doctrina toto in Orbe Christiano conspicui ab *Honorio I.* Romano Pontifice Hæreseos labem absterferunt, quos inter sunt *Joannes IV.* Pontifex Maximus in Apologia pro *Honorio* ad Constantinum Imperatorem filium *Heraclii*, *S. Maximus Martyr* in Dialogo cum *Pyrrho* Monothelita, & in Epistola ad *Marinum*, quæ extat inter *Anastasi* collectanea; *Anastasi* *Bibliothecarius* in suis ad *Joannem Diconum* Collectaneis. Prætermitto Scriptores modernos, *Combesium* in sua *Historia Monothelitarum*, *Natalem Alexandrum*, *Antonium Pagium*, aliosque Scriptores Ecclesiasticos, qui præclaris dissertationibus Monothelitarum Hæresim ab *Honorio I.* Summo Pontifice amoluntur. Sed in sequentibus nostris Colloquiis de *Honorio* hujus nominis primi Pontificis *Maximi* Orthodoxia, iterum redibit sermo.

D. Redeamus ad seriem Pontificum, qui sæculo septimo Sedem Romanam tenuerunt?

M. Post interjectum unius anni, septem mensium, & quindecim dierum ab obitu *Honorii* hujus nominis primi interpontificium, *Severinus* Patria Romanus consecratus est Pontifex Maximus die XXVIII. mensis Maji anni sexcentissimi quadagesimi (a). Hujus tamdiu dilatæ ordinationis causam, merito rejicit *Baronius* in negatam confirmationem ab *Exarcha* *Ravennaten*si, lab imperatore, donec *Ethesium* Imperatoris *Heraclii* electus Pontifex Romanus approbasset, sed cum *Severinus* nullo pacto sua approbatione munire voluisset, & potius illam una cum Monothelitarum Hæresi damnasset, *Isaacius* *Exarcha* *Ravennaten*sis, Romam venit, & Patriarchicum Lateranensem expilavit. Sedit *Severinus* menses duos, & dies quatuor, obiitque die prima mensis Augusti ejusdem anni sexcentissimi quadagesimi. Mortuo *Severino*, vacavit Sedes Apostolica menses quatuor, & dies viginti quatuor; quare *Joannes IV.* natione *Dalmata* ordinatus est Pontifex Romanus die XXIV. mensis Decembris ejusdem anni sexcentissimi quadagesimi. Quo anno Romæ indixit Synodum contra Monothelitas, quorum Hæresim confixit, illiusque Synodi exemplar misit ad *Heraclium* Imperatorem. Sedit annum unum, menses novem, dies octodecim, ac fato functus est die undecima mensis Octobris anni sexcentissimi quadagesimi secundi. Post illius obitum cessavit Episcopatus mensem unum, & dies tredecim, ideoque *Theodoros* natione *Græcus* ordinatus est Pontifex Romanus die vigesima quarta mensis Novembris ejusdem anni sexcentissimi quadagesimi secundi. *Pyrrhum*, & *Paulum* Patriarchas Constantinopolitanos Hæreticos Monothelitas damnavit hic Summus Pontifex, seditque annos sex, menses quinque, & dies novemdecim, atque humanis ereptus est die decima tertia mensis Maji anni DCXLIX. Post mortem *Theodori* fuit interpontificium dierum quinquaginta duorum, sicque *Sanctus Martinus* oriundus e Civitate *Tuderina* in Provincia *Tuscæ* ordinatus est Pontifex Romanus die quinta Julii anni DCXLIX. Nihil prætermisit Imperator *Constantinus* ut a Summo illo Pontifice extorqueret confirmationem *Typi* a se promulgati, seu perfidæ fidei formulæ, planeque Orthodoxæ doctrinæ oppositæ Edicto propositæ. Verum, *Martinus* hujus nominis primus Pontifex Maximus sibi semper constans, Dei favorem ac minas magis veritus, quam Imperatoris, ei morem gerere noluit, sed Romæ convocata Lateranensi Synodo *Typum* Imperatoris *Constantis*, & Monothelitarum Hæresim, ejusque *Coryphæos* *Cyrum* Patriarcham *Alexandrinum*, *Sergium*, *Paulum*, & *Pyrrhum* Constantinopolitanos successione Patriarchas damnavit. Hæc Monothelitarum damnatio, nec non Anathema *Typo* *Constantis* Imperatoris in hac Synodo dictum, maximam apud eundem Imperatorem *Martino* Sanctissimo Pontifici constarunt invidiam. Id enim, ubi accepisset Hæreticus ille Imperator, multa in eum confinxit crimina, propter quæ *Calliopam* *Exarcham* *Ravennaten*sem Romam anno DCXLIII. misit, qui militari manu armatus Sanctum Pontificem die XIX. mensis Junii apprehensum noctu imposuit navis, & ad Insulam *Naxos* (quæ una est ex Insulis *Cycladibus* in Mari *Æge*o positis) deportavit, in qua insula Sanctus ille Confessor anno integro moratus est continuis morbis afflictus & laboribus plurimis oppressus. Inde, ad diriora subeunda tormenta Constantinopolim

perductus, post interrogationes sibi a Sacellario Ecclesie Constantinopolitane factas, catenis ferreis toto corpore vinctus per Urbem tractus est. Dein, in carcerem coniectus, pressura vinculo- rum, frigore & inedia maceratus fuit, jamque de vita Sancti illius Pontificis plane actum erat, nisi ejus eadem Paulus Patriarcha Constantinopolitanus, Hæreticus licet Monothelita, moriens Imperatori dissuadisset. Morti itaque ereptus est S. Pontifex, ut mortem diuturniorem in exilio pateretur. *Chersonam* quippe relegatus omnium rerum inopia, morbis & ærumnis confectus ad cælestem patriam Martyrum cæronam percepturus migravit die XVI. mensis Septembris anni DCLV. Hic autem obiter observandum est, Ecclesiam Romanam a die decima nona mensis Junii anni sexcentissimi quinquagesimi tertii, quo die Sanctus Martinus Papa, ut jam diximus, captivus ductus est, usque ad diem octavam mensis Septembris anni sexcentissimi quinquagesimi quarti, quo ordinatus est *Eugenius* Pontifex Romanus, fuisse gubernatam ab Archidiacono, Archipresbytero, & Primicerio, ut testatur idem S. Martinus in Epist. xv. ad *Theodorum*. Sed cum timeret Clerus Romanus, ne a *Constante* Imperatore daretur Romanus Pontifex, qui ejusdem cum ipso Monothelitarum hæresis esset propagator, alium Pontificem Romanum, *Eugenium* scilicet, superstitite adhuc S. Martino, die octava Septembris anni sexcentissimi quinquagesimi quarti eligendum, ordinandumque necessario duxit. *Baronius* existimat, *Eugenium* electum Pontificem Romanum usque ad S. Martini Papæ mortem, quæ, ut diximus, accidit die XVI. mensis Septembris anni DCLV. per imaginem dumtaxat sedisse, & Vicaria solum potestate gregem gubernasse, quem postea, S. Martino defuncto, doctrina & exemplo pavit. At Cl. *Pagius* in sua Critica *Baronii* ad annum DCLII. & DCLIV. asserit, *Eugenium* electum Pontificem Romanum, vivente licet adhuc S. Martino, vere Pontificia auctoritate Romanam rexisset Ecclesiam, quia etsi hæc *Eugenii* electio facta fuerit inscio S. Martino, attamen præquam illam electionem a Clero Romano ad præcavendas *Constantis* Imperatoris Monothelitæ insidias factam esse accepisset Sanctus ille Pontifex pro fide Catholica exul, eam sibi gratam fuisse testatus est in Epistola *Chersona* ad quemdam sibi Charissimum scripta, quam recitat *Baronius*. Præterquam quod, a sæculis plane inauditum est, mortuo, vel absente Romano Pontifice, fuisse aliquem Vicarium Romanæ Ecclesie præfectum (a). A die itaque octava mensis Septembris anni DCLV. numerari debet tempus Pontificatus *Eugenii* hujus nominis primi, cumque, teste *Anastasio*, sederit *Eugenius* annos duos, menses octo, dies viginti quatuor, sequitur, *Eugenium* Papam mortuum esse die prima mensis Junii anni sexcentissimi quinquagesimi septimi. Post mortem *Eugenii* vacavit Sedes Pontificia mensem unum, dies viginti novem, ut scribit *Anastasius*. Quare die trigesima mensis Julii anni sexcentissimi quinquagesimi septimi *Vitalianus* patria Signiensis

Provincia Campaniæ ordinatus est Pontifex Romanus, cujus & in propaganda Religione Catholica studium, & animi magnitudo variis exercita casibus sæpe sapius eluxit. *Constantem* Imperatorem Hæreticum Monothelitam ad Catholicas partes traducere totis viribus conatus est, eumque Romam venientem amanter & perhonorifice excepit. Sedit *Vitalianus*, teste *Anastasio*, annos quatuordecim, menses sex, & obiit die XXVII. mensis Januarii anni DCLXXII. ad quam diem *Bollandus* in Actis Sanctorum Vitam ejus descripsit. Post mortem *Vitaliani* fuit Interpontificium duorum mensium, & dierum viginti quinque, unde die vicesima secunda mensis Aprilis ejusdem anni DCLXXII. *Adeodatus* consecratus est Pontifex Romanus. Sedit annos quatuor, menses duos, & dies quinque, ac subinde mortuus est die vicesima sexta mensis Junii anni DCLXXVI. Post illius obitum cessavit Sedes menses quatuor & dies quinque, & *Donus* illius successor ordinatus est Pontifex Romanus die I. mensis Novembris ejusdem anni DCLXXVI. Sedit annum unum, menses quinque, dies decem, & decessit e vita die XI. mensis Aprilis Anni DCLXXVII. Post *Doni* mortem cessavit Pontificatus menses duos, dies quindecim, adeoque S. *Agathe* natione Siculus die vicesima septima mensis Junii ejusdem an. DCLXXVII. inauguratus est Pontifex Romanus, qui habita Romæ Synodo Monothelitas damnavit, præfuit per suos legatos sextæ Synodo Oecumenicæ contra eosdem Hæreticos Monothelitas anno DCLXXX. coactæ, seditque annos tres, menses sex, dies quindecim, obiitque die decima mensis Januarii anni DCLXXXII. Mortuo *Agathone*, fuit Interpontificium septem mensium & septem dierum, atque in ejus locum *Sanctus Leo* hujus nominis secundus die XVII. mensis Augusti ejusdem anni DCLXXXII. successit & ordinatus Pontifex Romanus. Is sextam Synodum Generalem auctoritate sua confirmavit, seditque menses decem, dies septemdecim, & ad Deum migravit die III. mensis Julii anni DCLXXXIII. Post mortem *Leonis II.* cessavit Episcopatus menses undecim, dies viginti duos, quo fit ut *Benedictus* hujus nominis secundus, Patria Romanus, consecratus fuerit Pontifex Romanus die XXVI. mensis Junii DCLXXXIV. sedit menses decem, dies duodecim, & abiit e vivis die VII. mensis Maji anni DCLXXXV. Duæ Epistolæ, quæ *Benedicti* secundi nomine inscribuntur, quarum prima directæ est ad *Petrum* Notarium Regionarium, altera data est ad *Ervigium* Hispaniarum Regem, jure merito tanquam spuria a Cardinali *Baronio* rejiciuntur. Post *Benedicti* hujus nominis secundi obitum, cessavit Pontificatus menses duos, & dies quindecim, ut habet *Anastasius*, ac subinde *Joannes* hujus nominis V. natione Syrus ordinatus est Pontifex Romanus die vicesima tertia mensis Julii anni DCLXXXV. sedit annum unum, menses decem, & mortuus est die secunda mensis Augusti anni DCLXXXVI. Post mortem *Joannis V.* fuit Interpontificium mensium duorum, & dierum octodecim, quam ob rem *Conon* genere Thrax ordinatus est Pontifex Romanus die vice-

vicesima prima mensis octobris ejusdem anni DCLXXXVI. Sedit menses undecim, & e vita migravit die XXI. mensis Septemb. anni DCLXXXVII. Mortuo *Conone* Summo Pontifice, extitit Schisma *Theodorum* Archipresbyterum inter & *Paschalem* Archidiaconum, ut ex *Anastasio* narrat *Cardinalis Baronius*, ad quod duorum Pontificatui inhiantium Schisma consopendum, Clerici, Magistratus, & exercitus Duces, post interpontificium duorum mensium, dierum viginti duorum, tertium elegerunt, videlicet *Sergium* hujus nominis Primum, qui Pontifex Romanus consecratus est die XV. mensis Decemb. an. DCLXXXVII. Sedit annos tredecim, menses octo, dies viginti tres, & fato functus est die VII. mensis Septembris anni DCCI.

“(a) Interpontificium ab Honorii obitu usque ad Severinum definitur in nostro Codice Lucensi anno I. mensibus VII. diebus XVIII. Tempus sedis mensibus II. diebus IIII. Depositio ejus signatur IV. Nonas Augusti. Cessatio Episcopatus mensibus IV. diebus XXIX. Joannis IV. Episcopatus producitur ad annum I. menses IX. de diebus nihil. Depositio figurat die IV. Idus (sed Idus transversa linea deletum est manu antiqua) Octobris. In cessatione Episcopatus cum editis congruit. Theodorus sedit annis VI. mensibus V. diebus XVIII. Depositio ejus notatur sub die pridie Idus Majas; in interpontificio cum editis congruit. (b) Inter dissidentes Eruditorum sententias, num *Eugenius* electus fuerit verus Pontifex, agente adhuc in vivis S. Martino, mihi quidem præferenda judicaretur Cl. *Pagii* sententia, quæ ejus electioni in Romano Pontificem favet, eidemque opinioni suffragari Pontificalis libri authorem arbitror, ex eo scilicet, quod nullum interpontificium inter Martinum & *Eugenium* statuit. Vix enim fieri potest, quin inter obitum S. Martini, & electionem *Eugenii* dies aliqua intercesserit, siquidem *Eugenius* nova alia electione post obitum decessoris sui opus habuisset. In meo vero Pontificali depositus S. Martinus scribitur die XVII. septembris. Tempus sedis *Eugenii* in MS. Pontificali Lucensi est annorum II. mens. IX. dier. XXIV. Depositio ejus est IV. Idus Junias. Interpontificium mens. I. dier. XXVIII. In ceteris nihil ab editis discrepat. In *Vitaliano* omnia cum editis conveniunt, nisi quod cessatio Episcopatus est mens. II. dierum XIII. Adeodati interpontificium est mensium IV. dierum XV. In *Dono* nihil differt ab editis. *Agatho* sedit an. II. mens. VI. diebus IV. Interpontificium est an. I. mens. VII. diebus V. *Leo II.* depositus notatur V. nonas Jul. *Benedicti II.* depositio est VIII. Id. Majas. *Joannes V.* sedit ann. I. diebus IX. D. Descripsi hactenus seriem Summorum Pontificum, qui septimo Ecclesie sæculo Sedem Romanam tenuerunt: nunc, quæso te, recense eodem ordine Chronologico alios Pontifices, qui o-

ctavo Ecclesie sæculo eidem Sedi Romanæ, atque universali Ecclesie præfuerunt.

M. Mortuo *Sergio* hujus nominis primo, die VII. mensis Septembris anni DCCI. post Interpontificium unius mensis & dierum viginti, *Joannes VI.* natione Græcus ordinatus est Pontifex Romanus die vicesima octava mensis Octobris festo Apostolorum *Simonis & Jude* sacra ejusdem anni DCCI. Sedit annos tres, menses duos, & dies duodecim, obiitque die XI. mensis Januarii anni DCCV. Eodem anno, post unius mensis, & dierum decem & octo Interpontificium, *Joannes VII.* natione Græcus die prima mensis Martii creatus est Pontifex Romanus. Hic Sanctum *Wilfridum* Eboracensem Episcopum ab *Alfrido* Northumbriæ in Anglia Rege, multis calamitibus oppressum, habita Romæ Synodo absolvit, & in sedem, e qua injuste pulsus fuerat, restituit. Pontificatum gessit per duos annos, menses septem, dies septemdecim, atque supremum diem obiit die VII. mensis Octobris anni DCCVII. Defuncto *Joanne VII.* cessavit Pontificatus menses tres, ideoque *Sisinnius* natione Syrus die decima octava mensis Januarii anni DCCVIII. Pontificatum inivit, seditque dumtaxat dies viginti, & vitam cum morte commutavit die sexta mensis Februarii ejusdem anni DCCVIII. Post mortem *Sisinnii* fuit Interpontificium unius mensis, & dierum undeviginti (a): quapropter *Constantinus* natione Syrus ordinatus est Pontifex Romanus die vicesima quarta mensis Martii ejusdem anni DCCVIII. Constantinopolim ab Imperatore *Justiniano* vocatus Summus ille Pontifex, magno cum honore, anno DCCX. ab illo exceptus est, rexitque Ecclesiam Romanam usque ad diem VIII. mensis Aprilis anni DCCXV. quo ex hac vita discessit. *Constantino* e vivis sublato, vacavit Sedes Pontificia dies quadraginta, quare *Gregorius* hujus nominis *Secundus*, Patria Romanus die XIX. mensis Maji anni DCCXV. consecratus est Pontifex Romanus. Ille est, qui *Joannis* Episcopi Constantinopolitani Epistolam Synodicam recepit, *Sanctum Bonifacium* Presbyterum Anglum, Virum Sanctissimum, conversionis Infidelium & prædicandi Evangelii causa, in Germaniam misit, Episcopum ordinavit, & ad omnia Capita, de quibus fuerat ab ipso consultus, respondit perdocta Epistola, quæ incipit: *Desiderabilem mihi*; quam *Gratianus* perperam adscribit *Gregorio III.* *Caroli Martelli* opem adversus Longobardos Italiam infestantes imploravit idem Summus Pontifex, Iconoclastarum Hæresim confixit in Synodo Romæ habita, & ad Imperatorem *Leonem Isaurum* illius Hæresis promotorem duas gravissimas scripsit Epistolas, ut illum ad veram fidem adducere posset. Sed surdo cecinit. Immo, pessimus hic Imperator in rabiem actus vitæ Sancti istius Pontificis sæpius per suos Exarchas, duces, aliosque suæ impietatis ministros insidiatus est, ac omnino de vita Sancti hujusce Pontificis fuisset conclamatum, nisi Romani, & Longobardi desiderantes, ut inquit *Anastasius*, mortem pro defensione Pontificis sustinere gloriosam, ipsum conjunctis viribus ab hostium dolis, & insultribus incolumem servassent. Quapropter, ut scribit idem *Anastasius* in Vita illius Pontificis, gratias voluntati Populi referens (*Gregorius II.*) blando omnes sermone, B 3 ut bo-